



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

I. De sponsalibus & matrimoniis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

## LIBER QVARTVS.

DE SPONSALI-  
BVS ET MATRI-  
MONIIS.

Tit. I.



DICTVM de contrahundo ma- <sup>23. Cum</sup>  
trimonio prohibitorium esto. ad <sup>apud.</sup>  
id solus partium consensus suffi-  
cito. ideóque illud & surdus &  
mutus contrahere valento. Quod

verbis non potest signis declarator.

Sanè in cæteris verba consensum exprimen- <sup>25. Tue.</sup>  
tia ecclesia desiderato.

Furiosus autem, cum consensum non habeat, <sup>24. Dile-</sup>  
contrahere ne valeto. <sup>ctus.</sup>

Quod si quis fingens cum muliere contrahe- <sup>26. Tue.</sup>  
re verbis vtetur dubiis animo duntaxat eam de-  
cipiundi, & mox carnaliter eam cognoscet: ec-  
clesia quæ de internis non iudicat pro matri-  
monio iudicato. hæc tamen si reapse ita sient:  
matrimonium defectu consensus reapse nul-  
lum esto.

Sed etsi inter aliquos ita fortè contrahentur <sup>7. Ex lite</sup>  
sponsalia, vt vnus quod alter proponit non in- <sup>ris. I.</sup>  
tellegat: iudex, si matrimonium contracturi  
ad id faciendum scientia, & ætate idonei sient,  
dispicito. eo cognito ad communem rei intelle-  
gentiam recurrito. Vterque contrahētium ver-

- V iiii

## De spon. & matri.

ba prolata in eo sensu, quem rectè intellegentibus generare solent, accipere cogitor.

28. *Consultationi*

Quæ verò mulieres ad valvas ecclesiæ cum sponis benedicundæ venientes reclamabunt, seque nunquam in eos consensisse affirmabunt, sponis legitime contrarium probantibus ne audiuntur. Quod si accepta benedictione actutum à sponis ante copulam aufugient adserentes nunquam se debite consensisse, sed in lato metu compulsas, animo licet dissentirent, verba consensus protulisse: statim ne repelluntur. De metu, qualis fiet, anquiritor.

6. *De muliere.*

Non enim quælibet vis contractum matrimonium separato.

13. *Veniens*

Si mulier inuita cuiquam nubtui conlocata, quæ nec in eum postea consenserit, alteri subinde nubserit: matrimonium teneto. hic, vt eam recipiat, & maritali tractet adfectu, monitione præmissa compellitor. Alioquin & is, & si qua sit quam fortè superinduxerit, & eius parentes, si impediunt, excommunicantur.

11. *Nō est.*

Parentes dico: Nam & si fortè filiorum vxores detinebit pater, nec ollis restituet: quamuis sibi cum eis discordiam esse causabitur, ad id faciendum censuris ecclesiasticis cogitor.

21. *Ad id.*

Porrò, vt ad rem redeamus, quamuis puella necdum nubilis, & renitens nubtui conlocata fiet, si tamen post nubileis annos aliquanto tempore, dimidio fortè anno, viro cohabitassit: consensisse intellegitor. eū si dimiserit: reuorti cogitor. Si quos testes ad probandum dissensum producet: ne recipiuntur. Tanti temporis mo-

ra probationem excludito. Idcirco uterque ad alterum nubtiali adfectum tractandum compellitor. Si tamen ad religionem conuolare uolent: fas esto. At illis, si ad illicitos concubitus transierint, pœnitentia indicitor.

In nubtiis ergo contrahendis plenissima securitas esto. Atque ideo si timebitur ne puellæ, cuius de matrimonio lis erit, metus, coactiove inferatur: eam iudex tuto in loco, donec causa terminata fiet, conlocari facito. <sup>14. Cum locum.</sup>

Denique liberrima matrimonia funto. Vnde & in his contrahendis pœnalis stipulatio improbator. <sup>29. Gemma.</sup>

Cæterum qui consentienti mulieri promiserit eam se ab eo tempore pro coniuge habituram, eam ne dimittito. Ad eandem, dimissa si quæ superinduxerit, reuertitor. Eam maritali affectione tractare ecclesiastica censura cogitor. Nemini enim sine manifesta fornicationis causa uxorem dimittere liceto. Sed & tunc aut eam sibi reconciliato, aut ipsa uiuente contineto. <sup>9. Ex parte.</sup>

Vnde qui mulierem aliquam tametsi non patriæ suæ legibus sed alterius uxorem ducet, eam ne dimittito, aliamve superinducito. Si faxit: euangelicæ legis transgressor pœnitentiæ subiicitor. à secunda separator, & ad priorem redire cogitor. <sup>1. De fractura.</sup>

Immo & si quis tantum cum aliqua contrahere iurassit: ni rationabilis causa obfistet, iuramentum implere monetur. Ni adquiescet, ecclesiastica censura compellitor. <sup>10. Ex libris.</sup>

Sanè ad id faciundum, etiam si iurassit, prius <sup>17. requisit.</sup>

## De spons. & matrim.

quàm cogatur, monetur.

15. *Com-*  
*missum.*

Quod si quis cum aliqua contracturum se iurasset, & religionem ingredi volet: ut iuramento satisfaciatur, primùm contrahito. mox. si res integra fiet, ingreditur.

2. *Præ-*  
*terea, i.*

Quod si qui de contrahendo matrimonio purè, & absque conditione fidem sibi dixerint, eam ut obseruent, monentur. Si ambo ad hoc induci haud possent: tolerantur.

5. *De illis*

Itaque si quis præstito iuramento se aliquam ducturum promittet, seque eadem incognita aliò postea cõuortet: mulieri, si non amplius in factò processint, ad alia vota transire fas esto. Si tamen quominus consummatum fiet matrimonium per eam stetit: ad eadem de periurio penitentia recipitur.

22. *Sicut.*

Præterea sponsalia de futuro etiam iurata per secunda sponsalia de præsentì soluuntur, per secunda de futuro ne soluuntur.

15. *Ve-*  
*niens, ii.*

Si tamen sponsalibus de futuro accesserit & copula: per alia sponsalia etiam de præsentì ne soluuntur. Alioquin de præsentì sponsalia (nisi per metum qui in constantè virum cadere possit contracta sient) tenentur.

30. *is qui*  
*fidem.*

Qui ergo mulieri super cõtrahendo matrimonio fidem dicit carnali copula subsequuta, et si alteram ducet, & cognoscet, ad primam reuertitur. Cum qua licet præsumptum tantùm matrimonium fiet, tamen aduersum præsumptionem hanc probatio ne admittitur. Secundum nec verum nec aliquod existimatur.

32. *Ado-*  
*lescens.*

Adulescens tamen qui verbis de futuro sibi

desponsatam, sæpe licet expertus, reapse non cognoscens, cum alia postmodum verbis de præsentem contrahet, non primam, qui cum matrimonio verum præsumptumve non fuit, sed posteriorem habeto.

In summa: si inter quos consensus de præ-<sup>31. Si inter virum.</sup> senti legitimus interuenerit, seu iurassint, seu nec iurassint, alterutri ad alia vota transire nefas esto. Si faxit: posterius matrimonium, etsi copula subsequuta fiet, separator. primum valet. Sin de futuro tantum consensint, licet iurassint, si mox mulierem alter verbis de præsentem desponsassit, hi ne separantur. Ollis tamen pro violata fide pœna inrogator.

Si autem quis filiam suam alicui desponderit, <sup>4. Audentia.</sup> moxque detecto inter sponfos impedimento eam alteri prioris fratri, licet ex alia matre, conlocare volet: ne permittitor. Si se facturum iurassit: vt de illicito iuramento pœniteat inducitor.

Sponsam enim alterius maxumè nubili ætati <sup>3. Sponsam.</sup> proxumam nullus consanguineorum sibi matrimonio conlocato.

Vnde si maior septennio minorem septen- <sup>3. Iuuenis</sup> nio duxit vxorem, & eam domum traduxit: tali ex contracta publice honestatis iusticia oritor. puellæ consobrinam si quam postmodum ducet: ab eadem separator.

Sed etsi grauis & fide digna persona eos qui <sup>27. Cum in tua.</sup> nubtias contracturi sunt sibi esse proximos denunciassit, & de fama, vel scandalo docuissit,

## De spon. & matr.

aut de eo iudex per seipsum de plano certifica-  
ri possiet: nedum iuramenta parentum pro ma-  
trimonio sponte oblata ne recipito, verum &  
contracturos (si monitos ad id induci haud pos-  
tis erit) vt à tali contractu desistant, vel contra  
famam alia propinquorum iuramenta pro ip-  
sius arbitrio exhibeât, compellito. Sin talis per-  
sona non fiet, aut de fama, vel scandalo edoceri  
non poterit: ad desistendum moneto, non com-  
pellito.

12. *Præ-  
terea. ii.*

Immo si viri mulierem petentis consangui-  
neus cum ea se deliquisse proponet, sed hoc ip-  
sum ob metum fortè & potentiâ mulieris con-  
fiteri differet: matrimonium (ni iuramētum in-  
teruenerit) districtè prohibetor.

19. *In præ-  
sentia.*

Præterea tametsi vxor virum captiuum for-  
tè, vel peregrinū diu præstolata fiet, ni tamen  
de eius morte certum nuncium recepsit, ad al-  
terius consortium ne conuolato, nève conuo-  
lare permittitor.

18. *Cū in  
apostolica*

Sanè litispēdētia super matrimonio quod  
reapse nullum erat secundum contrahi ne im-  
pedito. Contrahenti tamen poenitentia indi-  
citor.

20. *Inter  
opera.*

Omnibus autem (vt rem absoluamus) qui po-  
blicas mulieres de lupanari extraxint, & vxores  
duxint, ollis quod faxint in remissionem pecca-  
torum proficito. Errantem enim ab erroris sui  
femita reuocare maxumum inter opera chari-  
tatis esto.